



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

Bibliopolæ Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)



BIBLIOPOLÆ AD LECTOREM.



NOVAM frustra conciliare gratiam niteremur luculento, quod hætenus in lucem emisimus, MAGNI BULLARII operi. Altera ejus editio, à nobis non ita pridem suscepta, quam etiam accelerare cogimur, ut Virorum doctrinâ simul ac pietate inclytorum votis fiat satis, licet in priori fuissent typis excusa non mediocri numero exemplaria, demonstrat apertè, quanto studio, quâ humanitate, ab omnibus excepta sit nostra hæc opera.

Verùm, quia Romano placuit editori, nostram dicteris elevare diligentiam, in suo ad benevolum, ait, Lectorem monito, nosque in hujus operis impressione, incuriæ ac negligentia perperam insimulare, ut nimirum effectâ, atque obductâ industriæ nostræ caligine, suos illustret labores; juvat, certissimum fidei atque curæ nostræ paucis hic subjicere argumentum.

Quo circa Lectorem monemus, 1^o. post accuratam quatuor priorum Bullarii nostri partium collationem cum Romano, videre esse, nihil eorum, quæ in isto continentur, fuisse omissum; sed multas potius in nostro reperiri Summorum Pontificum superiorum Constitutiones, de quibus in eo nulla fit mentio; prætermissa sine, cur de illis siluerit; quamvis certò sint authenticæ, ut potè quæ ex autographis excerptæ fuerunt instrumentis.

2^o. Monemus pariter, in progressu partis quintæ, ceterarumque Bullarii nostri partium, *Editionem ROMANAM an. 1733. & 1734.* nos ad verbum esse confecturos.

Sed quia Bullæ à CLEMENTE X. aliisque posterioribus Summis Pontificibus, ad BENEDICTUM PAPAM XIII. profectæ sexto Editionis nostræ Tomo ac sequentibus jam fuere insertæ, in hoc UNDECIMO, qui ad suum jam perductus est finem, eas duntaxat Constitutiones referemus, quæ hætenus fuerant omissæ, ne inutili eorundem repetitione nimium turgeant volumina, & sic fucum facere videamur. His jungentur Constitutiones omnes ab INNOCENTIO XI. promulgatæ.

Tomum Undecimum brevi excipiet *Decimus-secundus*, complectens Constitutiones omnes, à Summis Pontificibus ALEXANDRO VIII. INNOCENTIO XII. & CLEMENTE XI. emissas.

Tomus Decimus-tertius INNOCENTII XIII. & BENEDICTI XIII Bullas, Brevia aliaque Statuta complectetur.

Tomo tandem Decimo-quarto absolvetur præsens Opus, in quo ea omnia reperientur, quæ hætenus gesta sunt sub Pontificatu CLEMENTIS XII. qui nunc Ecclesiæ regimini pari sapientiæ fulgore, ac pacis amore præest. Vale.